



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt XVI. Vt Sacrorvm Hominvm Probitas Deo perhonorifica, ipsis & proximis est salutaris, ita illorum improbitas Deo probrosa, & ipsi & alijs exitialis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

nis sis, tamen ita sanctè & grauius agas, vt omnes cor-
canum in tuo iuuenili animaduertant pectore, & o-
mnes te ob prudentiæ & virtutis maturitatem suspi-
ciant, ac reuereantur, & quidem talem te præsta in
sermone, in familiari consuetudine, in amoris diuini
atque humani declaratione, in fidei rectitudine &
constantia, in totius vitæ puritate.

§ Et ad Tit. c. 2. v. 7. monet. In omnibus te ipsum præbe ex-
emplum bonorū operum in doctrina, in integritate, in grauita-
te. S. Chrys. hom. 4. in Titianam epist. & hæc verba: Sit
omnibus, inquit, doctrina, exemplarq; virtutis, tua speculum
vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti Arche-
typus & primitiua quadam imago, omnia in se habens, quæ bo-
na & honesta sunt: quæ magna cum facilitate volentibus ali-
quid sui decoris imitari, exēpla semper præbere parata sit. Vult
autē Apostol. vt Tit. luceat doctrinā alios ad fidem &
pietate erudiente, vitæ integritate ac sanctitate, mo-
rum grauitate & modestia ad probitate proluciente.

CAPVT XVI.

VT SACRORVM HOMINVM PROBITAS
Deo perhonorifica, ipsis & proximis est salutaris, ita illo-
rum improbitas Deo probrosa, & ipsis & alijs
exitialis.

Cur Eccle- § **C**ur autem clericorū vita eiusmodi esse debeat,
siasticorum **C**ur ad eam tanquam certissimam virtutis regu-
vita debeat lam alij mores suos dirigant & componant, ea potif-
esse virtutis sima causa est, quod illa omnium oculis sit exposita,
norma. & idcirco eos saluator cum luce, cum ciuitate in mō-
te exadificata, cum lucerna ardente, & candelabro
Conc. Trid. imposta comparauit. Hoc significat Trident. Synod. ses-
sum opere 22. c. 1. de reformat. Nihil est, inquit, quod alios magis ad pie-
piam Eccle- tatem & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & ex-
siasticorum emplum, qui se diuino ministerio dedicarunt. Cum enim a re-
vritam po- bus seculi in altiore sublati locum conspiciantur: in eos tan-
stulat. quam

quam speculum relict qui oculos coniciunt, ex ijsq; sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresq; suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone alijsq; omnib; rebus nil, nisi graue, modestum ac religione plenum praeseferant, leuia autem dicta, quae in ipsis maxime essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Et sels. 23. in decreto de Reformat. c. 14. Presbyteri ita pietate ac castis moribus sint conspicui, ut praclarum honorum operum exemplum, & vitae monita ab eis possint expectari. Similia habet idem Concil. Trident. sels. 24. de Reformat. c. 1. & c. 12. vtr obiq; ab initio, & sels. 25. de Reformat. c. 1. Quod & eximie docet S. Ioan. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio. Sacerdotis animi pulchritudinem vndique, ait, splendescere oportet, ut oblectare pariter & illuminare possit eorum animos, qui suos in illum oculos coniciunt. Peruersitas Nam vulgarij hominum delicta, velut in tenebris commissi clericorum auctores suos solos perdunt: ceterum hominis illustris ac vulgus in cogno- giti delictum commune omnibus damnium affert, & lis hominū. parua eius peccata alijs magna videntur. Neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum plerique omnes metiuntur.

Ecclesiastico
rum probi-
tas Deum
cōmendat.

§. Ex his planum est, quod virtutibus conspicua clericorū vita. i. ipsi Deo, cuius praecipui famuli sunt, sit perhonorifica, cum ad illustrandam ipsius gloriam alijs sanctitatis facem praefereūt. Quod & docet S. Pet. 1. ep. v. 12. omnes quidem Christianos, sed potissimum clericos, qui Christiani orbis lumina esse debent. Cō- uersationem vestram, inquit, inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. Eleganter id docet S. Ambros. lib. 1. off. cap. 50. Decet actuum, ait, operumque nostrorum testem esse publicam existimationem & attestationem, ne derogetur muneri: ut qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem praedicet, Dominum veneretur, qui tales seruulos habeat. Laus enim

Ecclesiasti- enim Domini vbi mūda possessio, & innocēs familie disciplina.
corum inte- 2. Deinde & illud manifestum ex ijs quæ diximus,
gritas alie- quod pia Clericorum vita vehementer in probitatis
ne virtutis studium incitetur populus. S. Chryf. hō. 10. operis imperf.
incitamen- in Matt. Propter bonā, inquit, cōuersionem suam sacerdotes
tum. sunt sal: quoniam bona conuersatio sacerdotum conditur a po-
 puli est. Propter verbum autē doctrina lux; quoniam: erbum i-
 gnorantia lumen est. Prius autē vocauit eos sal, postea autē lux;
 aut quia prioris loci est seruare quos habes, secūdi autē vocare
 quos non habes; aut quia prius est bene viuere, secūdo autē bene
 docere. Idcirco & hunc in modum hortatur Conc. Tolet.

Ecclesiasti- 4. c. 21. & 22. Quāuis conscientiam puram apud Deum sacer-
cus & san- dotes habere oportet, tamen ēt apud homines famam optimam
ctitate apud custodire oportet. Ideo conuenit testimonium probabilem per
Deum, & sonarū conuersationis & vitæ in conclauis suo habere: vt & Deo
bona fama placeant per conuersationē bonā & Ecclesia per optimā famam.
floreat apud §. Quæ virtutis existimatio nō tantum clerico non
 est negligenda, sed etiam ad Dei honorem & proximi
Curam ha- salutem valde ambienda. qua cum & auctoritas ipsi-
beat Eccle- us pollet, & doctrina magni fit, & Ecclesiastico Ordini
stasticus de ni decus accedit & ornamentum.

bono nomi- §. Contra vero improba Ecclesiasticorū vitæ. i. qui-
ne, vt mo- dem ipsi Deo ignominiosa & perosa est. Leu. 21. v. 6. Sa-
net Ecclef. cerdotes sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius. Et v.
 c. 41. v. 15. 21. ibid. Omnis qui habuerit maculam (i. corporis vitium)
Impurus & de semine Aaron sacerdotis, non accedet hostias offerre Domi-
nequā cle- no, nec panes Deo suo. Sua maiestate indignum iudicauit
ricus Deo Deus corpore deformatum sibi in templo deseruire,
inuisus & quāto magis indignum Deo, si eius minister clericus
probrosus. turpificato animo sit deformis: Eze. 22. v. 26. Sacerdo-
Si sancti sa res eius contempserunt legem meā, polluerunt sanctuaria mea.
cerdotes Deo Qui contemptim & impiē in Dei domo versatur, v-
dedecori nō tiq; iniuriam Deo facit, cuius domū violat. Quod satis
sunt, vtique indicat

Deo sunt probro sacerdotes impii, cum contrariorum contrarie sint con-
 sequentia.

indicat Deus, Ier. 7. v. 11. Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua est inuocatum nomen meum in oculis vestris? Et iterum c. 11. v. 15. Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Sensit idem & Assuerus rex Hestheræ 7. v. 8. & Apostolus 1. Cor. 3. v. 17. Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei Peruersus sanctum est, quod estis vos. Deinde ipse clericus seipsum Ecclesiasticum in contempionem adducit, Malach. 2. v. 9. Propter quod cui sibi suis- & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sic- que dedecor- ut non seruaſtis vias meas, (vt vos contemnerent, & pro honore ri est. & gloria quasi deiectos humilesq; calcarent) S. Hier. in cōmen.

§. Quid despiciacius impuro clerico? Quin & suo officio atque adeo ecclesiastico ordini maculam ac dedecus inurit. Quod cum nosset Apostolus tam serio monuit Cor. 2. epist. c. 6 v. 3. ne vllam darent offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum. Cauete, ait ne dissolutiore vita vlli scandalum præbeatis, quo fructus Euangelij quē nos verbo & exemplo propagare con- nitimur, impediatur. Et si religio Christiana in contemp- tum venit propter auditores, quāto magis pro- pter doctores & præfides qui sunt clerici? Vetustissi- mum quidem est & optimum documentum, quod habet S. Ioan. Chrys. hom. 4. de verbis Isa. c. 6. Vidi Dominū. Cum videris sacerdotem indignum, ne traducas sacerdotium. Non enim oportet damnare res, sed eum qui rebus male vitur. Quandoquidem & Iudas proditor fuit, verum ob id non accu- satur ordo Apostolicus, sed illius animus, nec crimen est sacer- dotii, sed malum animi: Saluberrimum præceptum, sed rarus vniuer- quod à paucissimis obseruatur, plerumque enim fit so ecclesia- quod ait S. Aug. ep. 137. ad suos Hippon. Ad quid aliud sedent stico statui isti, ait, & quid aliud captant, nisi vt quisquis Episcopus vel maculam Clericus, vel monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes es- inurit. se tales credant, iactent, contendāt, sed non omnes posse mani- festari? Neque enim isti maledici dictitant: Paphnu- tius est potator, Abdias est scortator, Matthias est ob-

Malè audi-
ens Ecclesia-
sticus doctor
non sine con-
temptione
auditur.
Publicum
offendiculū
ac proinde
remouendū
malè uiuens
clericus.

treator, sed isti clerici sunt scortatores, potatores, obtretores, ita ut propter paucos malos totus ordo pessimè audiat.

§. Quin & peruersi clerici institutiones quantumuis doctæ, veræ, salutares in despicatam veniunt: quia ut inquit S. Greg. hom. 12. in Euāg. cuius vita despicitur, restat ut eius prædicatio contemnatur. Denique quæ quantaq; scandala dat peruersus clericus? quot moratur, & sustinet ne in virtute progrediantur? quot à iustitiæ femita auertit? Hoseæ 5. v. 1. Audite hoc sacerdotes: quia vobis iudicium est: quoniam laqueus facti estis speculationi. Pro speculatione qua aliorum saluti providere debuistis, facti estis laqueus, & illos peccatis vestris irretiistis. S. Hier. in comment. Speculatores, inquit, vos posui, & principes in populo, & in excelsis dignitatis culmine constitui, ut populum regeretis errantem. Vos autem facti estis laqueus, & non tam speculatores & principes, quā venatores appellandi. Rursus de sacerdotum improbitate & offendiculo queritur Deus, Malac. 2. v. 8. Vos recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege. Septuaginta habet: Vos declinastis de via mea, & infirmos fecistis multos in lege. vbi S. Hier. infirmos faciunt multos, qui, cum credentes in Christo fidei robur acceperint, infirmari eos faciunt negligentia conuersationis suæ. Atque ita meridiana luce clarius est, quod ait S. Greg. hom. 17. in Euang. Nullum, puto, fratres carissimi, ab aliis maius præiudicium, quam à sacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit. Verè S. Isidor. Pelus. l. 3. ep. 326. Si sacerdotes mores suos correxerint, spes est plebem quoq; securam esse. Plura in hanc sententiam lib. 2. titulo de sui contemptu Ecclesiasticis vitando.

Cleri emen-
datio populi
correctio.

CAPVT XVII.
IN SCANDALVM PRÆBENTES
iusta inuectio

S. Bern.